

tem species est specialis justitiæ : ergo quando dicit duplicem esse speciem justitiæ, de justitia speciali loquitur, quæ in hanc duplicem speciem dividitur : ergo etiam altera species quam dividit justitiæ commutativæ, est species justitiæ specialis, dicit enim quod est duplex species justitiæ : ergo si una earum est species justitiæ specialis, etiam et altera. Hæc autem altera species quam dividit commutativæ, dicit esse distributivam, ut patet illis verbis : « Alia est quæ consistit in distribuendo, et dicitur distributiva justitia, secundum quod aliquis gubernator vel dispensator dat unicuique secundum dignitatem suam. » Hic autem est proprius actus justitiæ distributivæ. Sive ergo dicatur illa justitia esse gubernativa, sive non, tamen illa de qua hic loquitur D. Thomas necessario est distributiva justitia, quæ est stricta, et specialis, quia loquitur de illa quæ est species justitiæ condensa contra justitiam commutativam, justitia autem quæ dividitur in istas duas species est justitia proprie, et specialiter dicta, ut docet ipse D. Thomas 2-2, q. LXI, art. 1, in fine corporis. Hanc autem distributivam quam dividit commutativæ, ut speciem justitiæ, dicit esse in Deo, idque probat ex Dionysio VIII cap. de divinis nominibus, ubi dicit : « In hoc esse veram Dei justitiam, quod omnibus tribuit propria secundum cujusque existentium dignitatem : » ergo veram et specialem justitiam distributivam in Deo, ponit. Item in eadem quæstione XXI, art. III, dicit quod : « In quantum perfectiones dantur a Deo creaturis secundum earum proportionem pertinet ad justitiam. » Ergo admittit materiam distributivæ, quæ est respicere proportiones personarum, ut juxta illas aliquid detur. Adde expressissimum locum S. Thomæ quem

Vasquez non affert, nimirum super Dionysium de divinis nominibus, capite VIII citato, lect. IV, ubi dicit quod : « Justitia convenit Deo secundum tres actus. Primo quidem secundum hoc quod est distribuere. Commutativa enim justitia in Deo locum non habet, sicut est in venditoribus, et emptoribus, quia ut dicitur Rom. XII : Quis prior dedit illi et retribuetur ei? Sed attribuitur ei distributiva justitia, quæ non observat æqualitatem quantitatis, ut æqualia omnibus det, sed æqualitatem proportionis, ut det unicuique secundum quod dignum est. » Ita D. Thomas.

VIII. Locus autem allatus a Vasquez ex prima secundæ non officit, quia ibi D. Thomas ostendit in nobis nullum esse meritum ad Deum nisi ex præsuppositione ordinationis divinæ, non ante ipsum : dat enim Deus nobis virtutem ad operandum, et id meremur ad quod Deus virtutem deputavit. Præsupposita autem divina ordinatione, non negat D. Thomas non habere rationem meriti, et Deum fieri debitorem simpliciter, non nobis, sicut in justitia commutativa requiritur, sed sibi ipsi, in quantum est debitum ut sua ordinatio impleatur, ut dicit illo loco ad tertium. Hoc autem est formale, et proprium justitiæ distributivæ, ut postea ponderabimus. Unde ex hoc loco non sequitur quod eam negaverit Deo, sed quod posuerit, supposita tamen ordinatione voluntatis ejus circa actiones nostras sine qua ad determinatam rationem meriti non destinantur. Locus autem ex secunda secundæ q. XCI, minus favet, quia Deum servare modum justitiæ commutativæ in recompensatione præmiorum, et pœnarum D. Thomas affirmat illis ipsis locis in quibus etiam in sententia Vasquez affirmat dari in Deo justitiam distributivam, scilicet in XXVII, dist. II, et in XLVI, dist. IV, ut supra ci-

tavimus : ergo modus justitiæ commutativæ non impedit distributivam justitiam in Deo, quia stat bene quod sine debito commutationis, sed ex jure, et debito rectitudinis circa bonum commune distribuatur unicuique secundum suam dignitatem, et tamen inter valorem operum, et quantitatem præmii servet æqualitatem similem illi quæ fit inter duas res per commutationem ; sicut etiam in principe humano, dum exercet justitiam distributivam non omnino purificatur a commutativa, ex debito per modum contractus quod erga habet republicam et bonum commune.

IX. Et licet D. Thomas in illo argumento intenderet probare, quod omne justum simpliciter esset contrapassum, quod videbatur facilius solvi, dicendo in justitia divina solum inveniri justum distributivum quod non est contrapassum, tamen quia etiam servatur modus justitiæ commutativæ, oportuit D. Thomas ostendere, quod etiamsi iste modus inveniat, non tamen ideo est contrapassum, quia hic modus servatur ipso in divino judicio secundum quod recompensat præmia meritis, non prout accipit ab alio aliquid, vel reddit, quod est contrapassum, id est actio contra passionem. Sententiam hanc D. Thomæ sequuntur auctores quos citavimus præcedenti articulo pro hac parte.

FUNDAMENTUM EX RATIONE, QUOMODO
FACTUM DEI REQUIRATUR AD MERITUM.

X. Unicum fundamentum sententiæ nostræ est, quia justitia distributiva in sua ratione formali, et jure quod respicit, nullam dicit imperfectionem : ergo Deo non est deneganda. Antecedens non potest declarari nisi duplici medio. Primo,

afferendo perfectiones quas dicit justitia distributiva. Secundo, repellendo imperfectiones, quas illi attri- duunt oppositi auctores. Perfectiones quas habet justitia distributiva sunt. Primo, quia pertinet ad superiorem erga inferiores : distribuit enim de communibus bonis unicuique juxta proportionem suam ; et sic non petit æquitatem inter personas, vel actiones earum ; unde huc ad perfectionem, et superioritatem spectat. Unde dicitur Matth. XXV, quod : *Dedit talenta unicuique juxta virtutem suam.* Et ad hoc etiam pertinet munus judicis, quod simpliciter perfectionem dicit, et passim in Scriptura Deo tribuitur quod sit omnium judex. Secundo, habet justitia distributiva jus et debitum fundatum non in aliquo accepto vel dato ab alio, sed in ipsa naturali ratione boni communis, et cum Deus ipse sit auctor, et causa totius boni communis, idem est oriri illud debitum, et jus distribuendi æqualiter ex ipsa natura boni communis, atque oriri ex eo quod Deus sibi ipsi debet, quia debitum est impleri ordinationem suam, ut dicit S. Thomas loco supra citato 1-2, q. CXIV, a. 1 ad III. Unde ad perfectionem istius justitiæ pertinet, quod non fundatur, nec oriatur debitum, et jus ex ejus aliquo extraneo jure, vel actione, sed intra se habeat Deus sufficiens fundamentum, ut oriatur. Tertio, est perfectio istius justitiæ, quod versetur circa tale objectum, nempe adtribuendum unicuique, juxta proportionem suam, et dignitatem : hoc enim maxime æquum est, et consequenter maxime decet a Deo procedere, juxta illud Psal. XVI : *De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates :* et Rom. II, Matth. XVI : *Qui reddet unicuique secundum opera sua.* Ista ergo proportiones ad æquitatem reducere, easque respicere ad

perfectionem Dei pertinet, quia auctor est omnis perfectionis, et res sic esse distributas, et earum proportionem ad æqualitatem redactas, perfectio magna est, quia ordinatio magna est, et res esse debite ordinatas, magna perfectio est.

XI. Imperfectiones autem quæ videntur inveniri in hac justitia sunt. Prima, debitum, et obligatio erga alterum extra se, quælibet enim justitia stricta et specialis habet esse erga alterum sub ratione debiti et obligationis; Deus autem nulli creaturæ extra se potest esse debitor, neque obligatus in vi alicujus juris, quod habeatur erga Deum, neque ex parte boni communis, seu reipublicæ, neque ex parte alicujus particularis, quia quælibet creatura, vel communitas creaturarum nullum jus potest fundare erga Deum aut obligationem, cum quidquid habeat, beneficio ipsius habeat. Quod si dicatur Deum constitui debitorem, non in vi juris alieni, sed ordinationis suæ, contra est, quia ista obligatio si totaliter oritur ex ipsa Dei ordinatione vel promissione, ad fidelitatem pertinebit, non ad justitiam distributivam, quia hæc solum respicit dignitatem, et proportionem intrinsecam personarum, quibus distribuendum est, quocumque pacto vel promissione remota. Posita autem promissione vel erit obligatio, et debitum ex fidelitate, vel ex alterius actione, et communicatione, quod ad justitiam commutativam pertinebit. Secunda imperfectio est, quia per distributionem transfertur dominium alterum cui datur, non autem remanet penes ipsum qui distribuit: si enim in se retinet quis dominium rei, quam distribuit, non est proprie distributio justitiæ, sed gratiæ, et magis procedit Deus, ut beneficus, quam ut iudex: constat autem Deum non posse a se abdicare dominium. Ter-

tia imperfectio est, quia justitia distributiva alligatur ad plures personas quibus distribuit per se et ex vi formæ distributionis, eo quod justitia distributiva proprie, et per se non respicit debitum et proportionem unius personæ in ordine ad rem, quæ sibi datur, sed proportionem comparative ad aliam, cui etiam distribuitur, ut videlicet detur mihi præ illo si sim dignior, vel e contra si sim minus dignus: servat enim justitia distributiva proportionem geometricam, quæ est proportio duorum vel plurium ad aliquid. Si autem solum attendatur in pluribus personis proportio, et debitum eorum ad rem quæ sibi danda est, hoc non extrahit tale debitum a jure commutativo, ut patet cum quis habet plures creditores, et omnibus solvit, id quod illis debet, licet non sint æqualia debita, non exercet in solvendo, seu restituendo munus distributivæ justitiæ, sed commutativæ. Deus autem cum diversis creaturis in esse naturæ distribuit diversas perfectiones, vel diversis actionibus moralibus diversa præmia seu supplicia, non distribuit illas secundum comparativam proportionem unius ad alterum, sed perinde ac si uni soli daret id quod sibi congruit, et aptum est: non enim dat aquæ frigiditatem comparative ad calorem quem dat igni, vel e contra; nec in supernaturalibus retribuit Petro tantam gloriam, quia Joanni dat minorem, aut e contra, sed unicuique dat quod sibi correspondet, perinde ac si unicuique esset, et non plures: non ergo in his bonis distribuendis servat vim justitiæ distributivæ, sed solum providentiam, et sapientiam suam ostendit in diversis naturis seu rebus producendis, unumquodque juxta quod exigit.

Cæterum imperfectiones istæ nullo modo sunt de intrinseca et forma-

li ratione justitiæ distributivæ secundum se.

XII. Non prima, quia ad justitiam distributivam non pertinet, ut distributor sit debitor personis quibus distribuit, quasi ipsi constituantur creditores talis distributoris ex aliqua actione, vel jure proprietatis, seu quasi proprietatis erga ipsum ut de se constat, sed distributor si distribuatur ex bonis communibus, quæ non sunt propria sua, sed communitatis, tunc tenebitur ipsi communitati, seu reipublicæ eique fiet debitor, quatenus dispensator ejus est, vel ex contractu, seu quasi contractu cum republica cujus est custos, vel ex lege Dei sibi imposita ut custodiat justitiam, et sic se habet princeps humanus. Si autem distribuatur ex bonis propriis vel si ipsa bona communitatis sint sub dominio distribuentis, sicut omnia bona communia creaturarum sunt sub dominio Dei, et ab eo derivantur, tunc non poterit debitum aliquod nasci in distribuyente, nisi ex ordinatione sua, non solum per modum simplicis promissionis, quæ solum ex fidelitate impletur, sed ex promissione seu pacto oneroso, quatenus ordinat et dirigit ad ista præmia sub onere talium operum, seu actionum, et juxta earum proportionem et dignitatem se obligat retribuere: sicut qui instituit certamen, et proponit præmia ex bonis propriis, et non ex bonis reipublicæ, talis ex libera ordinatione sua proponit præmia, et proponit illa certantibus, cum ex natura rei ad id non teneretur, quantumcumque aliquis faceret eas actiones, quibus certamen exercendum est; et tamen si ex ordinatione voluntatis suæ proponatur certamen, et præmia sub onere laboris, et certaminis proponantur, non redduntur ex promissione simplicis, et ratione fidelitatis, sed ex justitia distributiva, quæ tunc fundatur in naturali

æquitate, et rectitudine sic postulante quod ordo distributionis servetur juxta proportionem actionum; ex suppositione tamen quod sub onere talium actionum fiat promissio, et propositio præmiorum. Sic ergo cum omnia bona quæ Deus distribuit sint propria ipsius, et sub dominio suo, non adstringitur illorum distributioni tamquam custos aut dispensator ex contractu, aut quasi contractu cum ipsa communitate, et republica creaturarum, quia tam tota communitas, quam quæcumque bona creata sub perfecto ejus dominio sunt, sed adstringitur ex ordinatione sua, quatenus proponit ea creaturis sub onere faciendi hoc vel illud opus meritorium; et sub hoc onere promittens et ordinans, corona illa quam dat, est corona justitiæ, ut vocat eam Apostolus, non autem corona solius fidelitatis vel gratitudinis: non enim dicemus quod Deus reddet justis coronam gratitudinis, sed justitiæ. Nec obstat, quod ipsæmet actiones meritorie, quibus creaturæ merentur istam coronam, etiam proveniunt ex Deo: et sic ipse dat præmia et dat merita et cum coronat merita nostra, coronat dona sua, ut sæpe dicit Augustinus ratione cujus non solum dicitur coronare nos in justitia sed etiam in misericordia, et miserationibus, Psal. cii. Non, inquam obstat, quia licet Deus sit Dominus, et auctor omnium, nec minus meritorum quam præmiorum, tamen etiam ejus est ordinare hoc ad illud, sicut unamquamque naturam ordinat ad fines suos, et dat illi proprietates, operationesque ad id conducentes, et proportionatas: sic ordinat et disponit, quod hoc donum ejus quod est meritum, sit competens, et proportionatum ad illud donum, quod est præmium et statuit hoc dari propter illud: quia ordinatione facta, ipse ex tali ordinatione sua fit debitor dandi

unum proportionate ad aliud, et non extra talem proportionem, quia hoc summa rectitudine sua sic ordinavit, licet omnia sint dona sua, sed tamen sic ordinata, et non alio modo data. Ad rationem autem justitiæ distributivæ quando sit distributio ex propriis bonis, et non ex bonis possessis a communitate, sed ipsa communitas, et bona ejus sunt sub dominio distributoris, sufficit quod obligatio et debitum sic distribuendi oriatur ex ipsa naturali rectitudine ordinationis propriæ, proponentis sub tali onere dona sua, et sub illa ordinatione dantis merita. Unde ex hoc quod Deus donet et merita et præmia, solum sequitur quod non sit debitor ipsis personis, ex aliqua earum actione, non tamen quod non sit debitor ipsis ex ordinatione sua, qua sic ordinavit illa dona sua et sub tali onere ea præbet.

XIII. Secunda imperfectio non obstat, quia distributiva justitia non petit abdicationem omnis dominii a distributore, sed largitionem alicujus dominii, ei cui dat prout est capax illius. Patet enim quod princeps potest servare justitiam distributivam largiendo bona communia in feudum aut emphyteusim, aut etiam solum donando usumfructum, in quibus casibus retinet vel totum dominium rei, vel saltem directum, et concedit feudalem. Et in universum in bonis quæ subditis dat princeps, nunquam abdicat a se dominium jurisdictionis, quod pertinet ad sua regalia. Non ergo est de essentiali ratione distributionis abdicatio omnis dominii a distributore, sed largitio alicujus. Sic Deus dando creaturis non abdicat a se dominium supremum, sed nostrum infimum, et creatum largitur, sicut fecit hominem ut præesset piscibus maris, et bestiis terræ, dominio scilicet humano, quod est sub supremo Dei. Alioquin non posset Deus vere dona-

re creaturis, si deberet abdicare a se dominium, quod ergo sufficit ad donationem gratuitam proprie, et vere, sufficit ad distributionem justitiæ, si hæc dona juxta proportionem dignitatis dantur, quia tunc non simplici donatione dantur, sed onerosa, et subratione meriti. Si ergo est sufficiens dominium in creatura ad accipiendam donationem simplicem a Deo, etiam ad onerosam, non obstat quod in utraque non abdicat Deus a se dominium: Deum autem multa nobis donare, passim Scriptura docet, ut Joan. III: *Sic Deus diligit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: Roman. VIII: *Omnia nobis cum illo donavit*: II Petri I: *Per quem maxima, et petiosa nobis promissa donavit*.

XIV. Tertia imperfectio seu impossibilitas ponendi in Deo distributivam justitiam, in qua majorem vim facit Vasquez, et qui eum sectantur, certe non video, qua ratione appetetur Deo, aut quomodo probetur ita Deum in largiendo creaturis dona, et perfectiones, attendere ad debitum et proportionem unius, quod non etiam ad proportionem aliorum, ad quorum comparisonem distribuit unicuique secundum suam virtutem, et dignitatem. Licet enim naturales proprietates, vel operationes dentur cuilibet creaturæ, attendendo ad absolutam ejus exigentiam secundum se, tamen aliquando etiam attenditur ad comparativam respectu proportionem quæ sunt in aliis, præsertim in distribuendis bonis, quæ superadjiciuntur aliquibus ut in illo loco Matth. XXV: *Dedit uni quinque talenta, alii duo, alii unum, unicuique secundum propriam virtutem*, ubi manifeste fit distributio talentorum comparative ad dignitatem, et proportionem diversorum. Et eodem modo: *Reddet unicuique secundum opera sua*, ut dicitur Matth. XVI. In hac enim redditione,

et attenditur ad proportionem uniuscujusque ad id quod sibi datur, et ad comparisonem cum aliis quibus distribuitur, ut videlicet non omnibus detur æquale simpliciter, sed æquale proportionate. Nec obstat exemplum de eo qui restituit pluribus creditoribus debita, et ipsa debita inæqualia sunt, v. g. uni centum, alii quinquaginta, alii viginti: tunc enim illa inæqualitas in redditione debiti, non est ex justitia distributiva, sed commutativa: dicimus enim inæqualitatem illam respici per accidens in restitutione et satisfactione creditorum; per se enim solum respicit, ut unicuique detur, quod ei debetur jure suæ proprietatis, et dominii, quia suum est, quidquid illud sit sive multum, sive parum, æquale vel inæquale; perinde enim restitueret æqualia, si tantum deberetur creditoribus. At vero in distributione divina, juxta cujusque virtutem, et proportionem non attenditur æqualitas rei dandæ juxta jus fundatum in dominio, et proprietate alterius in ejus actione et commutatione erga Deum, sed in proportione, et dignitate meriti quod non importat jus in re, neque jus proprietatis et dominii. Et ideo inæqualitas in his distributionibus est proportionalis, et fit secundum comparisonem dignitatis unius erga alium, eo quod cujuslibet jure est sola proportio quam habet iste præ alio, vel minus quam alter. Cum ergo Deus reddat non solum pretium pro valore, sed præmium pro meritis, in his qui non habent jus in re secundum proprietatem et dominium, sed jus ad rem, juxta suæ dignitatis et virtutis proportionem, manifestum est quod non solum attendit Deus ibi exigentiam, et proportionem unius tantum erga id quod sibi debetur, sed exigentiam comparativam proportionis hujus cum altero: hoc enim inibitum est necessario in distributione præ-

mii, seu boni communis juxta merita, quando fit inter plures: tunc enim cum non sit debitum jure aliquo proprietatis seu dominii quod unusquisque habeat ad rem suam, sed solum propter dignitatem, et proportionem meritoriam, impossibile est adæquate quantum isti dari debeat et quantum illi, nisi faciendo comparisonem hujus cum illo, quæ in ipsomet modo distribuendi inter plures involvitur.

XV. Præterea justitia distributiva per se, et ab intrinseco solum respicit, quod reddatur aliquid alicui propter debitum dignitatis, et proportionis suæ, non propter jus proprietatis, seu jus in re quod habeat, sed propter jus ad rem. Quod autem res illa dividatur actu et de facto inter multos, vel uni detur, per accidens est; ut patet cum præmium quod pluribus proponitur, seu ad quod plures concurrunt, est indivisum, v. g. præbenda, aut beneficium, et tamen datur ex distributiva justitia, imo etiam si plures oppositiones de facto non sint, sed tantum unus, attenditur ibi dignitas personæ ad illud præmium, non tamen fit comparatio ejus cum aliis, quia non sunt. Itaque non semper præmium dividi debet secundum proportionem plurium, imo unus tantum potest aliquando totum præmium acquirere. Unde dicit Apostolus, I Corinth. I: *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?* Ergo non est de ratione distributivæ justitiæ dividere præmium actu, et de facto juxta plurium proportionem, sed potest salvari respectu unius. Sufficit quod virtualiter, et potestative respiciat plures, quia scilicet ita datur præmium isti, quod si essent plures, et posset dividi, juxta comparativam proportionem divideretur, et supposito quod uni solum potest dari, saltem attenduntur aliorum pro-